

# IN QVA CONTINETVR

ECLIPTICI PLENILVNII, ANNO

currente M. DC. IX. Mense Iulio futuri, iuxta

Tabulas Prutenicas institutus

## EPILOGISMVS.

### Caput I. De Media Syzygia.



Eclipses Luminarium naturales hoc anno currente in tota terreni globi superficie nec plures nec pauciores, quam sex conspici possunt, tres nempe Solis, ac Lunæ totidem, si legitima illarū descriptio & epilogismus ē sincerioris Astro-  
nomiæ fundamentis instituatur ac determinetur.

I. Ex his autem duæ tantum Lunares in nostro hemisphæ-  
rio sunt conspicuæ; quarum prior 9. d. Ianuarii anni veteris, vel  
19. anni reformati contigit, cuius accuratam observationem  
nubibus hinc inde obductum cælum nobis tunc inuidebat. Al-  
teram autem 16. d. Iulii novi, vel 6. d. veteris Calendarii  $\Delta$  pas-  
sura est; reliquæ quatuor extra nostrum horizontem appare-  
bunt, partim in Oceano Australi navigantibus, partim ad occa-  
sum, partim etiam à nobis versus ortum habitantibus, in iis lo-  
cis; ubi Moscovia separatur à Tartaria.

II. Quia verò Lunaris ille defectus, mense Iulio futurus,  
tam observatione, ob quantitatem non exiguam, quam consi-  
deratione ob effectus, quos portendit, dignissimus est: operæ  
precium me facturum existimo, si breuem quidem, ac perspicu-  
am eius tractationem astrologicam instituam.

III. Tali autem via docendi ac methodo procedemus in hac  
 $\Delta$  deliquii Descriptione; ut primùm rationem calculi ex funda-  
mentis Copernicanis iuxta Canones Prutenicos ostendamus:  
deinde perbreue iudiciū ex Astrologorū placitis annectamus.

A 2 V. Ad